DE

FLUORE ALBO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU

ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE II. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXIX.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES AUGUST. *WITTCHOW*

STARGARDIENSI POMERANUS.

H. L. Q. S.

BEROLINI.

FORMIS THEOPHILI BRÜSCHCKE.

VIRO

CLARISSIMO AMPLISSIMO

AVUNCULO SUO MAXIME COLENDO,

C. F. WITTCHOW

MEDICINAE DOCTORI EXPERIENTISSIMO

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatiuncula.

Traditurus hasce studiorum meorum primitias lecturo benevolo, iterumque peto, ut, si qui sunt, qui percensitis his pagellis operam meam parum utilem ac fere vanam judicent, humaniter mihi indulgeant. Meditentur velim haud pauca esse offendicula, haud exiguas difficultates, quae quo minus tale opusculum ab omni parte absolutum exsistat, impediant. Primum enim ipse huius argumenti ambitus latissime patet, ut singula tantum ac praecipua describi possent, tum et omnia quae huc spectant tanto cum studio et diligentia a medicis praestantissimis sunt exposita, ut mehercule unumquemque de eventu desperare oporteret, si omissis quae jam divulgata novis tantummodo inhiaret. Hisce consideratis non dubito quin lectores benevoli, si minus omnia excusaverint, nonnulla tamen indulgentia sua sint adornaturi.

Cap. I.

Introductio. Generalia quaedam.

De Fluore albo commentariolum conscripturo nescio quidem an operae pretium mihi facturus sim, si praestantissimorum medicorum sententiis meas qualescunque interposuerim, quum et ii, qui litteris medicis vel leviter imbuti, non ignorent, quam saepe is morbus, quantisque a viris sit agitatus, neque idoneum videri debeat, infinitam scriptorum multitudinem nova eaque tironiana scriptiuncula auxisse; singulos vero corporis humani affectus paulo curatius persensendo, quum legibus academicis obtemperandum esset, nullum isto aptiorem invenire potui, in quo tirocinium ponerem. Multa enim ad cogitandum offert, variamque tum indolem tum causas agnoscit, et nostro praesertim tempore, quo adeo increbruit, ut tertiam fere mulierum partem invadat, medicorum animos ad pervestigandas ipsius rationes mirifice excitat. Urbanis praesertim mulieribus molestias exhibet, utpote quae lautius vivunt, vitamque degunt sedentariam, rusticis vero plerumque parcit. Maxime, quod extra dubitationem est, a vitae genere, moribusque, ut hoc tempore sunt inducitur, si minus etiam ad morbos quosdam praevios, quibus facile excitatur, perinde frequentiores respicere volueris.

Varia variis ab auctoribus nomina accepit, magna sane ex parte ad indolem ipsius causasque respondentia de quibus infra agetur. Sic fluor albus sive

uterinus plerisque, aliis gonorrhoea sexus sequioris, aliis Elytritis, aliis Leucorrhoea vel medorrhoea dicitur. Graecis ῥοῦς γυναικαῖος Germanis, der weisse Fluss, Gallis Fleurs blanches, Anglis the white flixe vocatur.

Quodsi definire fluorem album velis, eum pro secretione excretioneque muci e folliculis vaginae mucosis perversa habendum esse, luculenter, apparet. Neque ex vagina tantum, sed ex utero, quoque mucum haud raro profluere, constat. Praemonendum vero jam protinus ab initio est, id quod facile e physiologiae praeceptis repetere licet, ad mucum illum a vaginae uterique folliculis naturaliter secernendum, vim vitalem omnium partium, quae ibi agant necesse est, requiri, exactissime ad id respondentem. Quae si excessit aliquo modo, vel deminuta est, fere fieri nequit, quin perspicuae inde mutationes morbosae eveniant, totumque corpus afficiatur, prout vel insigniores istae vel leviores fuerint. Etenim turbatis earum partium actionibus, et vicinarum partium et remotiorum, quae consensum cum illis ineunt, vis vitalis necessario vel imminuitur vel commutatur aliquomodo, ideo quod alterius partis vita ab altera in eam agente quasi sustentatur atque promovetur. Omitto, ipsum qui continenter secernitur mucum, utpote a naturae norma varia ratione aberrantem, deteriores effectus et in proximas partes et in remotiores exserere, indeque facile intelligi, fluorem album, initio, quidem in loco tantum effecto esse, arctioribusque finibus circumscribi, longius vero productum, totum corporis afficere.

Unaquaeque humani corporis pars propria incitabilitate instructa, propriisque irritamentis obnoxia est, quibus sibi invicem accommodatis et respondentibus, naturalis illa, quam dicunt, incitatio efficitur. Cetera irritamenta effectu vel plane destituuntur, vel certis tantum rerum sub conditionibus incitabilitate nimirum ad eorum actiones idonea, vim suam exercent. Quod cum de omnibus, ut modo traditum est, humani corporis partibus, tum de folliculis vaginae uterique muciparis valet, quorum actiones irritamenta, prout majores effectus, minoresve exserunt, vel augere, vel deprimere, ideoque illas vis vitalis conditiones plane inter se diversas inducere debent, quae a pathologis sub stheniae et astheniae nominibus intelligi solent. Illam diutius persistere non posse, quum vis vitalis validioribus irritamentis obnoxia promtius absumatur, et nova irritamenta ad priores accedant, ut puta vehementior sanguinis ceterorumque humorum affluxus, et citatiores singularum partium, quae in se mutuo agunt, actiones, ideoque illam quam diximus stheniam sive hyperstheniam citius tardius in astheniam indirectam transmutari, non est, quod pluribus commonefaciam. Haec de immutata uteri ac vaginae vi vitali in universum valent. Jam vero necessarium est, ut et singularum partium e quibus ista constat, paula curatius rationem habeamus. Vitium enim modo vasis sanguinem vehementius ad genitalia congerentibus, modo ex horum infirmitate vel alia quacunque indole morbosa orire potest, unde muci secretio a naturae norma recedat necesse est, modo utramque simul causam agnoscit, sanguine nimirum ad infirmas partes crebrius congesta,

inque iis propter eam ipsam infirmitatem diutius retento.

Omnis autem secretio vel copia vel indole, vel utraque ratione aberrare potest, unde et praecipuae fluoris albi differentiae emergunt.

Quodsi copia parati humoris aberrat, ratio inter partes solidas humidasque turbetur oportet, unde et vim reproductivam commutari debere, facile intelligi potest. Quodsi indoles secreti humoris depravata est, hic irritamenti morbosi locum obtinet, quod singularum actionum inter se consentum turbat, ideoque sanitatem tollit. Patet itaque morbos secundarios necessario subsequi, postea accuratius exponendos. Ad quos, uti traditae illae generales causae, ita vasorum resorbentium actiones plurimum faciunt, quae sive integra eorum actuositas sit, sive, quod verisimilius est, a morbo aliqualiter commutata, vitiosum humorem ex parte in ipsorum capacitatem recipiunt, ideoque vel systematis tantum lympathici, vel illum cum ceteris humoribus communicando totius corporis morbum inducunt.

His propositis, dubium non est, quin fluor albus frequentissime quidem morbus primarius sit, nimirum a morbosis tum vaginae tum uteri actionis excitatus, saepius tamen et secundarius est, scilicet a praevio quocunque morbo per metastasin quam dicunt provocatus. Unde apparet diversissimae eum indolis esse debere, varia metastaseon natura, indeque varias easque gravissimas medendi indicationes suppeditari. Quod obiter indicasse sufficiat, nam metastaseon naturam aliquanto curatius explicare, longum et a proposito nostro vel maxime alienum est.

Caput II.

Symptomatologia.

Plurima quidem exquisiti fluoris symptomata observantur, utpote qui causis excitatur maxime inter se diversis, pauca tamen eaque eminentiora, pathonogmonicis quae dicuntur accenseri possunt. Unumquodque sedulo pervestigandum observandumque a medicis est, quo tandem aptius de singulis illius generibus iudicium ferre, inque variam eius indolem paulo exactius inquirere liceat.

Hinc attendendum non solum ad symptomata causarum est quae ab antiquioribus pathologis afferuntur verum etiam ad symptomata symptomatum animus curiose advertendus, quoniam singulis symptomatis novae eaeque graviores morbosae mutationes proficisci posse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Jam vero praemonendum videtur, non omnia omni in fluore albo, quae allaturus sum symptomata locum habere, nostramque morbi imaginem non a singulis, sed a plurimis exemplis, veluti in unum comprehensis deducendam esse. Protinus ab initio haud absonum videtur, inter fluorem album sthenicum et asthenicum distixisse, quo facto discrimine singula utriusque differentiae symptomata et facilius sub adspectum veniunt, et commodius percipiuntur.

1. Igitur fluorem album sthenicum ex irritamento aliquo extrinsecus admoto oriundum, sensus caloris per aliquot dies antecedit, quem comitatur pruritus quidam haud prorsus ingratus unaque dolores lancinantes ac tensivi leviores, nimirum vagina veluti in

brevius contracta excitati. Simul facies vaginae anterior cum clitoride, labiis et nymphis paullatim cum dolore intumescunt, indurescuntque. Accedit molesta coeundi cupiditas, incessus dolores movet, iamque aegrotae, dum sedent pruritum maxime ingratum persentiscunt, et urinam aliqua cum difficultate reddunt, redeunte post mictionem mingendi stimulo. Ad haec tensivi inguinum ac lumborum dolores accedunt, in nonnullis cum febre symptomatica conjuncti, unde pulsus frequens et durus redditur, imo vomitus supervenit cum tumore ventris dolorifico, neque mirum videri potest, vesicam, urethram, intestinum rectum cum toto perinaeo his rerum sub conditionibus affici, glandulasque inguinales per consensum intumescere' Quae symptomata, ut in omni inflammatione, celeriter increscunt,novis perpetuo accedentibus, etiamsi tam altos gradus adscendere, quam in gonorrhoea virorum haudquaquam consueverunt, Instantibus autem menstruis. mirifice augentur, item post refrigerium vel exaestuationem.

Jam decrescente inflammatione, pituita lenta, mox aquosa, haud raro cruenta, flavida vel viridis, eaque acerrima assidue profluit, quae partes vicinas corrodit, odoremque subinde proprium ingratum spargit; ac lintea tingit. Ad hoc summa urinae difficultas; quae ne inter fluxum quidem menstrum remittit, magnisque aegrotas molestiis perturbat. Ceterum bene se habent praeter quam quod capitis dolores conqueruntur, si vehemeutior inflammatio est unde et oculi splendent, malae rubore vegeto subducuntur, cutis siccatur inquietudo quaedam exoritur

et urina rubra ést. Mane dolores utique vehementiores esse solent.

2. Contra fluor albus asthenicus neque pruritum neque calorem nec ullos dolores movet, sed pituita lenta ex vagina uteroque et labiis majoribus sensim et gradatim augescens sine molestiae alicuius sensu profluit, quae indusium vix et ne vix quidem tingit, pallidasque maculas exhibet. Ipsum profluvium modo intenditur modo remittit, modo ante menstruorum fluxum evanescit, post hunc crebrius rediturum, modo alias quascunque mutationes subit, quae omnes enumerari vix possunt. Refrigerium, exercitatio nimia, alvus coacta, cibus immodicus et spirituosorum abusus, morbum praecipue in deterius vertunt. Mane pituita abundantius profluit, noctu plerumque retenta. Haud raro quoque morbus per brevius vel longius temporis spatium ex toto intermissus, inopinato reciprocatur, sin autem qualicunque de causa supprimitur, symptomata vehementiora movet.

In corporibus maciis, exsuccis, male habentibus, pituita aquosa est, maculisque flavidis lintea inquinat, saponi acerrimo resistentibus. In succiplenis et robustioribus lactis fere speciem praebet. Urina utplurimum sine difficultate redditur, flocculosque vel sedimentum demittit, ideo quod pituitae non multum ex vicinis partibus abluit. Colore haec admodum variat, modo enim flavet modo viridiuscula modo livida est modo nigrescit. Saepe nullum odorem saepius gravissimum spargit modo purulenta est, modo ad naturam gelatinae accedit. Vagina tumoris expers portio autem uteri vaginalis tumida, mollis, laxa est. Orificium uteri externum rotundum apertumque de-

prehenditur, labiis haud reflexis. Dolores ex toto desunt, nisi forte pudenda totumve corpus incitabiliora sunt, sic ut levius quodvis irritamentum dolores diutius persistentes ex facili inducere valeat.

Citius tardius dolores lumborum, coxarum, ventriculi, membrorumque accedunt; cum leviori ventris tumore. Diutius persistente malo debilitas, malus corporis habitus, animi morositas, angor accedunt, ciborum concoctio turbatur, alvus iam incerta est, oculique lividis circumdantur annulis. Labia pallent, aegrotae acidum ructant vomuntque, crebris exercentur flatibus, denique in febrem lentam cadunt. Haud raro quoque descriptis symptomatibus urinae difficultas ex superficiaria pudendorum inflammatione superadditur. Inter haec menstrua valdopere turbantur, vel et plane supprimuntur, tempore autem quo profluere debent, pituitae profluvium augescit, unaque uterus et vagina molestis perstringuntur doloribus.

Caput III.

Aetiologia.

Ut omnes morborum excitantes causae effectus suos exserere nequeunt, nisi corpora ad id opportuna sint, ita ut fluorem album certa quaedam opportunitas praecedat necesse est, quae causis cum excitantibus viam quasi aperit, et corpora ad hunc morbum aptiora reddit. Haec sub nomine causae praedisponentis plerisque a medicis intetelligi solet excitantes vero causas occasionales vocare consuerunt.

Praedisponentes fluoris albi causae sunt, malus corporis habitus, praecipue leucophlegmaticus, sive constitutio laxa pituitosa, itemque constitutio phthisica et morbus scrofulosus, qui corpora ad varia muci profluvia aptiora reddit, unde et fluor albus in teneris infantibus haud raro observatur.

Ex causis occasionalibus vero maxime illae eminent, quae uterum et vaginam relaxant. Quo praecipue pertinent: nimia veneris cupiditas librorum obscoenorum lectione et voluptuosis imaginibus excitata, unde genitalia intumescunt et vaginae pruritus oritur, quem citius tardius subsequi solet muci maleolentis profluvium, quod in viris benignam excitare gonorrhoeam potest. Item manstupratio, quam ex animi insolita morositate, tristitia, sensibilitate aucta, recordia, memoria hebescente, incogitantia, cita corporis animique fatigatione, desidia, visus hebetudine, certa eaque inexplicabili oris lineamentorum indole, corporis et faciei marcescentia, pallore ingrato, oculorum splendore extincto annulisque lividis, tunicae conjunctivae suffusione et madore, dum reliquum corpus bene valet, ac neque ciborum appetentia deminuta neque somnus inquietus est, facile cognoscere licet. Quod vitium in hystericis fere frequentius est.

Porro venus nimia, unde fluorem album prostitutas puellas saepius invadere constat. Intermissa quoque venus, maxime in viduis vegetioribus idem efficere potest. Neque effectu destituuntur ollae istae carbonariae, quarum fotus assiduus pudenda relaxat et infirma reddit, perinde ut quaeque calidiora ventris imi integumenta. Fluorem vero album ex

habitu corporis scorbutico, inedia, immunditie ac puerperiis frequentioribus originem ducere, utpote quibus partes genitales valdopere relaxantur, satis omnino constat.

Praeterea haec fere adnotanda veniunt: Fluor albus sanguineus qui perinde laxitate pudendorum excitatur plerumque uterinus est, scilicet ex lochiorum fluxu praeternaturali oriundus. Benignioris fere indolis est, et mucus crassior qui a folliculis paratur, saepe diutius in uteri capacitate retinetur, ac subinde accedente dolore, dolori ad partum haud absimili in coagulis majoribus minoribusve excernitur. Frequenter eiusmodi fluor albus menstruorum vices exhibet, sic ut per tres hebdomadas vel mensem integrum ex toto intermissus, certo tempore revertatur. Hunc fluorem album menstrualem vocare convenit, cuius sub nomine alii et eum intelligere solent, qui inter prima menstrua coortus saepe per longius temporis spatium protrahitur. Menstruali non absimilis est fluor albus haemorrhoidalis, quem comitari consuerunt dolores pudendorum tensivi ac pressorii praecipue inter coitum et fluxum menstrualem augescentes. Venas varicosas vaginae uterique intromissis digitis haud raro tangere licet. Obiter atque in transitu afferendae sunt hae fluoris albi species;

1) Leucorhoae Nabothi, muci periodica plerumque ex pudendis inter gravitatem profusio.

2) Leucorrhoea neonympharum, quam brevi post nuptias coortam plane insontem esse, inter auctores constat.

3) Leucorrhoea nuper natarum, benigna, omnisque periculi expers.

Altera causarum occasionalium classis vaginam et uterum qualicunque modo irritando fluorem album inducere valet. Huc fere pertinent irritamenta tam mechanica, quam consensualia, praecipue vero contagia atque miasmata, quae proprios in partes genitales effectus exserere consuerunt.

Ex his maxime eminet virus istuc syphiliticum, quod vaginae admotum fluorem album acutioris decursus excitat, quem venereum, malignum, contagiosum, Elytritidem syphiliticam sive acutam, medorrhoeam seminarum contagiosum nuncupant. Facile is abire in chronicum sive secundarium muci profluvium potest, quod aliam indolem, eamque a proposita plane diversam prae se fert.

Fluor albus scrophulosus plerumque ex metastasi scrophulosa oriundus, molestioris genitalium irritationis signa exhibet maxime pruritum et sensibilitatem auctam, facileque ex habitu aegrotantium scrofuloso ceterisque illius morbi symptomatis, quae per se facile in oculos cadunt, cognosci potest.

Similiter metastasis arthritica fluorem album excitare valet, frequentissime vero fluor albus rheumaticus quibusdam in regionibus et aëris constitutionibus observatur. Hoc malum saepe plurimas invadit, et, ut molestum, sic facile curatu est.

Praeterea causis irritantibus fere annumerandae sunt: Vermes, praesertim ascarides, quae ex intestino recto in vaginam proserpentes pruritum molestissimum continentem, unaque cum muci profluvio ulcera quaedam superficiaria excitare solent, syphiliticis persimilia, in quibus quum versari consueverint

rint, irritationem valdopere augent. Tum variae suppressiones, ulcerum praecipue habitualium et sudoris alicuius consueti, ubi malum per metastasin in vaginam transponitur. Deinde medicamenta acria in vaginam injecta eius folliculos ad secretionem muci exuberantem incitare, frequenter observare licet. Denique sordes gastricae, ut plures alios affectus, sic fluorem album inducere valent, cuius originem et indolem tunc ex colluviei gastricae eminentissimis symptomatibus, puta nausea, vomituritione, vomitu, praecordiorum tensione et aliis talibus facile cognoscemus. Postremo ad causas irritantes referenda sunt pessaria, quae in vaginam intromissa ejus membranam muciparam haud leviter exstimulare valent; item thoraces, quibus mulierculae nostris temporibus assueverunt. His sanguis ex superiori parte repulsus et inferiores congeritur, ibique tardius in orbem agitur, imo stagnare aliquamdiu potest, unde partium pudendarum actiones commutari debere, per se patet. Maxime vero uteri inflammatio chronica ac polypus fluorem album comitem sibi adsciscunt. Neque omittendum est, hunc morbum frequentissime malum hystericum concomitari, obstructiones viscerum abdominalium sequi, perpetuumque tam scirrhi uteri quam cancri symptoma esse. In hoc sanies ichorosa una cum muco ac sero acri exedente profluit, gravissimosque odores spargit.

Caput IV.

Divisiones.

Quum variam fluor albus indolem agnoscat, va-

rias certe in differentias ac differentiarum genera distingui potest. Maxime vero usum praestant illae divisiones, quae, quum a penitiori morbi natura et indole desumtae sint, medendi vias indicant.

Sic inter fluorem album benignnm non contagiosum distingui solet. Illum infinita causarum multitudine excitari posse, propositum est. Hic in aliud corpus per contagium haud commutata ipsius indole transfertur, atque certum absolvit decursum.

Deinde in sporadicum, endemicum et epidemicum fluor albus commodissime dividi potest, quorum nominum vis, quum satis cognita sit, pauca tantummodo adjicienda esse iudico. Endemicum igitur id malum iis in regionibus est, ubi constitutio endemica quam dicunt una cum soli natura et vitae incolarum genere corpora emollit atque relaxat, cuius observationis exempla in promtu sunt. Fluor albus epidecus una cum morbis rheumaticis et catarrhalibus observari solet, fereque annuis morbis accenseri potest, quum tempore praesertim autumnali revertatur. Ratione temporis ac decursus in acutum et chronicum inque continuum et periodicum dispescitur. Idonea quoque fluoris albi divisio in benignum et malignum est, scilicet ab ejus natura desumta. Ceterum reticendum non est, utramque speciem, si inveteraverit, corpori detrimentum haud exiguum afferre, id quod superiori hujus commenta rioli parte luculenter demonstravimus. Porro fluor albus sanabilis vel insanabilis, idiopathicus vel sympathicus est, partes tantum genitales, vel et totum corpus afficit. Omnibus vero, quas proposui differentiis vis uitalis

vel aucta vel imminuta subest, sic ut unaquaeque vel sthenica esse possit vel asthenica.

Caput V.

Exitus

Quoniam humores validissimis et pernecessariis corporis irritamentis accensendos esse, imo vita perinde praeditos esse ac solidas partes in confesso sit, eorum jacturam irritamentorum defectum inducere ideoque corpus debilitare luculenter apparet. Maxime vero parti laboranti et vicinis detrimentum inde afferri debet, neque praetereundum est his rationibus et ceterarum partium secretiones imo omnem totius corporis vitam mutationes necessario recipere. Fluoris autem albi exitus et sequelae pro genere morbi, indole, vehementia, decursu, corporis natura ac temperie utplurimum variant.

Fluor albus qui in vagina tantum vel vicinis partibus est, nec totum corpus afficit et per se facile sanescere potest, quum naturae vires sufficiant, et arte sine difficultate tollitur. Sin autem neglectum id malum est, vel inveteravit, vel ars parum valet, symptomata magis magisque increscunt, sic ut summam ad vehementiam facile adscendant. Quo fere pertinent: Summa affectae partis debilitas, lumborum dolores continui, somnolentia, tristitia, morositas, faciei pallor, labiorum livor, oculorum splendor extinctus, pituitae ex iis profusio et lachrymatio, lividi infra palpebras arcus, rel. Morbos vero eo graviores insequi, quo plnres quoque vehementiores causae intrinsecus egerint, non est quod prolixius disputem.

Fluor albus venereus vel sanescit, vel ulcera, bubones, ossium tumores, condylomata, ut brevibus dicam luis universalis symptomata excitat, quam, si nobiliores partes occupaverit, haud raro morte terminari cognitum est.

Id vitium etsi penitus sanatum in hystericis etiam melancholia insequitur, timore contagii usque retenti, quod nullo modo ex corpore inquinato exterminari possit, excitata, sic ut perdifficile aegris persuadere liceat, ne vestigium quidem prioris morbi superesse.

Fluor albus endemicus saepissime sponte sanescit, loco gravi cum salubri mutato, et vitae quoque ratione ad morbi naturam respondente. Idem fere de arthritico valet, qui, ut per metastasin aliquam provocatus est, ita rursus aliam in partem transponitur. Neque periculosus est fluor albus catarrhalis' quem facile sanari posse, dummodo aëris temperies et constitutio mutata sit constat. Quodsi causis gravioribus iisque internis excitatus est, aegrotas haud passim in discrimen vitae vocat, quum alia quaedam periculosiora symptomata adsciscat, utputa diarrhoeam, sudores nimios, sanguinis profluvia, hydropem, tabem, nervorum distentiones, hysteriam, totumque morborum nervorum gregem. Ipsa partium affectarum debilitas vaginae uterique prolapsus inducere consuevit.

Cap. VI.

Prognosis.

Fluorem album per se quidem leviorem morbum esse, certis tamen rerum sub conditionibus periculum

aegrotantibus minitari, imo in discrimen vitae eas quandoque vocare, ex superiori capite patet. Maxime attendendum est ad copiam pituitae profluentis, quae si excesserit, morbus utique gravior habendus est, sin secus, levior.

Quod vero ad singulas fluoris albi species pertinet, haec fere adnotanda veniunt. Fluor albus ex debilitate totius corporis facile sanatur, dummodo causae absint, cur minus huic occurrere liceat. Roborato enim corpore et refectis viribus, debilitatis effectus per se evanescere debent. Idem valet de fluore albo ex sordibus pudendorum et immunditia oriundo, qui si modo corpora sua aegrotae paúlo exactius curaverint ac frequentius laverint, facile cessat. Fluor albus gravidarum, qui ex ipsa graviditate originem duxit post partum desinit.

Difficilior curatu is est, qui menstruorum vitia comitatur, fere enim ex penitiori quadam corporis morbosa mutatione vel ex vitio aliquo organico oriri solet. Quomodocunque autem haec res sese habeat, eadem fere de eiusmodi fluore albo praedicenda videntur, quae de primario morbo, ejus causa valent, quo sublato per se, tamquam sanati morbi symptoma evanescit. Hinc fieri potest ut prognosis in ejusmodi casu modo pessima habenda sit, modo optima. Difficillime fluor albus ex manustupratione sanatur, quoniam causa amoveri vix potest, neque medicamenta roborantia, etsi validissima securitatem pollicentur. Idem de fluore albo valet, cujus causa frequens libido fuerit. Nec sane facili negotio illae sanantur mulierculae quae fluore albo laborant, non solum ex debi-

litate corporis verum etiam ex constitutione pituitosa, phlegmatica coorto. Nam haec frequentissime hereditaria est, et causis vix et ne vix quidem amovendis sustentatur. Fluorem album viduarum itemque virginum ex abstinentia oriundum, ipsa venus sanare consuevit, vel medicamenta quae sanguinis ad genitalia congestiones nervorumque sensibilitatem avocare valent, Fluor albus haemorrhoidalis refractarius est, sanatur autem, ubi morbo primario occurrere licuerit. In neonymphis, nisi alia causa quam inconsueto veneris stimulo excitatus, sponte cessat. Facile quoque ad sanitatem perducuntur, quae syphilitico fluore albo laborant, nisi laesa vaginae vel alius cuiusdam vicinae partis tunica sit, unde luem veneream enasci posse, neminem profecto fugit. Saepe id vitium, si decursum suum rite absolverit, secundarium muci profluvium ex debilitate oriundum relinquit. Fluor albus scrophulosus vel facile vel summa cum difficultate amoveri potest, prout morbus scrophulosus vel levior vel gravior fuerit. Si vermes causam malo suppeditarunt, bona praedicere licet, saepe autem fit, ut latente hujusmodi causa, medicamenta incassum adhibeantur. Fluor albus post suppressas impetigines vel aliud quodvis vitium coortus medico difficultatem exhibet, sin autem pro corporis morbique natura vel aliis quibusdam rerum conditionibus pristinum malum restituere licuerit, partes affectae sponte sanescunt. Fluor albus catarrhalis plerumque cessat, mutata aëris constitutione, vitaeque ratione ad valetudinem directa, sic ut supervacuum medicorum auxilium sit. Sin autem neglectus est, maxime refractarius habetur. Quodsi malum ex sordibus in-

testinorum originem habuit, vomitu alvique ductione facile tollitur; nec aegre auxilium fertur, si pessaria aliave corpora aliena pituitae secretionem in vagina promoverunt. His enim amotis, partes affectae vel sponte ad sanitatem redeunt, vel adhibitis quibusdam remediis roborantibus facile obsequuntur. Fluor albus a polypo vaginae uterive excitatus, si mucus ex ipso polypo profluit, hujus ligatura sanatur, sin autem diuturna pressio in causa fuerit, pertinacior est. Fluor albus ex puerperio frequenti, tardius, ex indole corporis scorbutica pro variis rerum conditionibus modo aegrius modo promtius, sanatur, ex cancro uteri, insanabilis est. Denique malum hystericum inveteratum, si in causa fuerit, malam prognosin subiicit.

Quae de singulis fluoris albi speciebus universim prolata sic adhibenda sunt, ut ex vitae generis cuiusque aegrotae, et habitus corporis, et anni tempestatum et aëris constitutionis exactissime ratio habeatur id quod ex regulis therapiae generalis per se patet.

Caput VII.

Curatio.

In sanando fluore albo morbosas vaginae uterique actiones ad naturae normam dirigendas, maximeque folliculorum mucosorum naturalem vim restituendam esse, non est quod pluribus exponatur. Hanc vel imminutam esse vel auctam, indeque fluorem album modo asthenicum enasci modo sthenicum, antea propositum est. Quas ad differentias generales methodus roborans et antiphlogistica in universum respon-

dent. Notandum vero protinus ab initio est, rarius morbum nostrum sthenicam, contra frequentissime asthenicam indolem prae se ferre. Fluoris albi asthenici natura ad ceterorum fere morborum chronicorum naturam convenientissime referri potest, utpote quibus imminuta partium vis vitalis unaque mutata mixtio subest. Debilitatis autem sive astheniae notionem in sanandis morbis chronicis haudquaquam satisfacere, sed ad peculiarem cuiusque morbi indolem corporisque naturam, causas, ceterasque rerum conditiones utique esse respiciendum, neminem profecto latet. Unde, methodum excitantem roborantemque solam non semper auxilium polliceri, frequentissimeque alias quasdam methodos, imo remedia specifica quandoque in usum vocanda esse, clarissime elucescit. Ipsum debilitatis gradum ex causis, quae malum excitarunt huiusque ex symptomatibus commode diiudicare licet, neque negligenda varia eius indoles est, quae modo cum incitabilitate aucta (erethismus) modo cum imminuta apparet. (torpor.)

Proximum in curando morbo quolibet chronico est ut amoveantur causae remotae, quae si indagari nequeunt, vel agere in corpus desierunt, sic ut earum tantummodo effectus remanserint, proxima causa medicamentis ad id aptis utique evellenda est. Ex his itaque patet fluoris albi sthenici naturam has fere indicationes suppeditare:

1. ut irritamenta morbosa, quaecunque in vaginae membranam mucosam agant, amoveantur,

2. Ut inflammationi hujus occurratur.

Jam quod ad priorem indicationem pertinet, corpora quaevis aliena vaginam stimulo aliquo irritan-

tia, eximenda, deinde vero ea in usum vocanda sunt remedia, quae ad alteram indicationem respondent. In quorum numero primum locum tenet venae sectio, hirudines, scarificatus, deinde salia quae dicuntur media, ore sumenda, nitrum puta depuratum, natrum sulphuricum, kali acetivum, kali sulphuricum, kali tartaricum, tartarus depuratus, rel.

Usum quoque praestare solent: pulpa tamarindorum, emulsiones ex amygdalis et seminibus cannabis, item clysmata emollientia, cataplasmata e medulla panis albi, seminibus lini, floribus chamomillae et sambuci, adjecta herba hyoscyami affusaque aqua saturnina, Quodsi irritamenta quaedam peculiaria vim suam in vaginam exercuerunt, remedia in usum vocanda sunt eorum naturae respondentia. Sic in fluore albo syphilitico hydrargyrum haud raro adhibendum est, si qua resorbti contagii venerei suspicio subsit. At si malum istiusmodi medicamenta superans usque persistit, recurrendum ad ea est, quae in ipsam vaginam iniiciantur.

Ubi a lenioribus initium faciendum esse constat, v. c. aqua calcariae aliisque talibus, deinde vero transeundum ad valentiora est, qualia sunt aqua saturnina admixto opio, aqua destillata in qua hydrargyrum muriaticum corrosivum vel zincum sulphuricum solutum sit rel. Sin autem inflammatio remanet, utique ab his rememediis abstinendum est, irritant enim affectas partes, ideoque inflammationem augere debent.

In curando fluore albo chronico his fere indicationibus satisfaciendum videtur:

1) Ut amoveantur irritamenta, quaecunque ad morbum sustentandum faciant.

2) ut vires cum totius corporis tum partium laborantium reficiantur recreenturque.

Hac simplicissima ratione frequenter mederi malo maxime refractario licet. Suspensa autem manu procedendum est, ne profluvium si inveteraverit citius supprimendo, corpori damnum afferamus, quod praecipue iniectionibus fieri constat, quibus si malum praepropere sublatum in affecta parte est, fere in aliam eamque nobiliorem summo aegrotantium detrimento transponitur. Corpus enim morbosae affectae partis actioni tamquam naturali adsuevit, sic ut hac suppressa alia quaedam excitetur necesse sit.

Quoad priorem indicationem, pernecessarium est ad indolem causasque singularum specierum exacte respicere, qua de causa nullus dubito has ex ordine afferre.

Igitur in fluore albo a nimia veneris cupidine librorum obscoenorum lectione excitata, vel a saltatione nimia, vita sedentaria, ollarum carbonariarum usu assiduo, fotu partium pudendarum calidiori, immunditia aliisque talibus originem duxit, interdicendum aegrotantibus his omnibus, praecipueque adhibenda frigida est, una cum remediis adstringentibus roborantibusque lenioribus, v. c. cortice salicis, hippocastani, ulmi angusturae, chinae rel.

Fluor albus ex masturbatione et excessu in venere medicamenta quae adstringant ac roborent exigit, e quorum numero attulisse sufficiat corticem angusturae, chinae, cinnamomi, item vinum, martialia, rel.

In fluore albo menstruali, vitium menstruorum, quod ansam morbo praebuit utique curandum est, pro cuius varia natura remedia modo attrahentia modo pellentia, modo temperantia modo resolventia in usum vocanda sunt. Maxime his rerum sub conditionibus utilitatem afferunt: Extractum Taraxaci, gentianae, Therebinthina, Aloë, Myrrha, crocus, similiaque.

Fluori albo ex viscerum abdominalium obstructionibus orto convenientissime occurrere licet clysmatis ex saponariae radice aliisque medicamentis resolventibus, quod idem de fluore albo ex hysterico malo oriundo valet, quippe qui easdem plerumque causas agnoscit. Simul vero remedia ipsam ad partem affectam adhibenda sunt, e quibus lenissimum fere esse aquam calcariae antea propositum est.

Flor albus Nabothi et neonatorum nihil requirit praeter summam munditiem. Haemorrhoidalis autem primarii morbi curam exigit, quam resolventibus praecipue medicamentis perfici constat, simul in usum vocatis, quae ad corporis morbique naturam respondeant.

Fluor albus ex verminatione remediis anthelminticis efficacissime impugnatur, v. c. radice valerianae, Filicis maris, semine cinae et sabadilli, rel.

Arthriticus et rheumaticus medicamina antimonialia exigit, resinam Guagaci, extractum aconiti aliaque valentiora, quibuscum si corporis indoles id expostulare videatur, remedia roborantia adhibentur.

Scrofulosus, quem difficiliorem sanatu esse commemoravimus, medicamentis antiscrofulosis efficacioribus curatur, praesertim hydrargyro, antimonialibus,

pulvere Plummeri, decocto spongiae marinae tostae, Radice Rhei, extracto Taraxaci, Gentianae, Trifolii aquatici, Millefolii, pilulis balsamicis adiecta asa foetida, Myrrha, ammoniaco rel. neque effectu destituuntur balnea ex aqua Teplicensi, Carolina, marina rel. Denique prodest laborantes partes suffumigari Olibano, Benzoë mastiche, atque decocta ex herbis vel radicibus adstringentibus in vaginam iniici superaddita cicuta et aqua calcariae. Quae si parum profecerint, postremo recurrendum erit ad ulcera artificialia, setacea, aliaque remedia quae malum aliquomodo foras educant deriventque. Fluor albus ex suppressa impetigine vel sudore ortus remediis debellatur haec iterum prolicientibus, e quorum numero afferenda sunt mercurialia cum antimonialibus coniuncta, stipites dulcamarae, calcaria stibiato-sulphurata, balnea tepida, quibus acria medicamenta commodissime adiiciuntur. Scabiem suppressam, si fluorem album excitaverit denuo provocari nonnulli per insitionem suadent. Si scorbutica corporis labes subest, usum praestare solent remedia antiseptica, praesertim herba cochleariae et nasturtii aquatici, cortex chinae, quercus, salicis, maximeque proficua sunt acida mineralia, e quorum numero valdopere laudatur acidum muriaticum. Fluor albus a vaginae uterive polypo excitatus, opem chirurgicam deinde remedia adstringentia expostulat. At qui cancrum uteri ut symptoma comitatur, leniri quidem aliqualiter, sanari tamen haudquaquam potest.

Quibus propositis, insuper monuisse haud incongruum videri potest, fluorem album criticum vel alium quemcunque, qui inveteraverit, ex rationibus an-

tea prolatis cautissime curandum esse, ne citius supprimatur, unde summum aegrotantibus detrimentum afferri constat. Si mucus promanat foetidus, qui graves circum aegrotas odores spargit, usum praestat decoctum corticis peruviani cum aqua calcariae mixtum; exulceratis vero partibus optime convenit aqua phagadaenica adjecto liquore myrrhae. Denique partium laborantium fumigationes ex mastiche, benzoë, olibano, rel. per siphonem in vaginam demissum, speratum levamentum afferunt.

Caput VIII.

Regimen diaeteticum.

Ut in omni morbo victus ratio medendi methodo quam exactissime accommodetur necesse est, sic in sanando fluore albo tam cibi potionesque quam vestimenta, domicilium, vitae genus medicamentorum praescriptorum naturae utique respondere debent. Si igitur ex illis morbus originem duxit, proximum est, ut vel emendentur, vel intermittantur, quaecunque ad hunc fecisse et usque facere coniectare licet. Reiiciendi itaque thoraces sunt et ollae carbonariae, vitanda est vita sedentaria et librorum obscoenorum lectio, unaque cavendum, ne quis ad aegrotantem accedat, qui libidinosas imagines excitando malum in deterius vertere possit. Si vero tristitia et moeror in causa fuerint, leniendae sunt curae et animus exhilarandus est. Pernecessarium quoque est, ut humidum domicilium sicco mutetur, commodum perflatum habente, ne aërem aegra spiret vaporibus animalibus aliisve inquinatum. Praeterea saluberrima

est mundities et partium laborantium et totius corporis atque stragulae vestis et cubiculi, vetandum vero partes genitales egelida lavari, quum frigidam potius usum praestare laxatas partes adstringendo, facile appareat. Denique cavendum a vestimentis arctius sedentibus abstinendumque a saltatione nimia est. — Maxime necessarium est, ut aegroti frequenti ambulatione dimoveantur, vel si progredi in publicum per tempestatem imcommodam non licet, domi obambulent et exerceantur.

Jam quod ad victus rationem attinet, haec accuratissime accommodanda variae morbi naturae est, sic ut in fluore albo sthenico potiones refrigerantes, mucilaginosae acidulae exhibeantur, v. c. aqua admixto succo citri vel aceto et sacharo, potio Riveri, emulsiones ex amygdalis, una cum iusculis dilutis ex hordeo decorticato vel alica avenacea, cibisque minime incitantibus. Interdicendum vero sit, a potu spirituoso, itemque a decocto coffeae, abstinendumque a cibis ventrem inflantibus, quales sunt pulticulae ex farina ac leguminibus, brassica, tubera solani rel.

Contra in fluore albo asthenico iuscula incitantia ex vino et mucilagine sago adiecto aliquo aromate dentur, item caro bubula vitulina, aves omnino, quaecunque melioris succi sint, neque omittendum est vere et aestate, herbas recentes atque radices in usum vocare quas utilitatem huiusmodi aegrotantibus afferre permultis observationibus comprobatum est. Potus egelidi, praesertim infusum theae quum intestina relaxent, vetandi sunt, nisi adiiciatur vel spiritus sachari vel oryzae, aqua cinnamomi; vinum